2

PARENTALIA
IN OBITVM IL-
LVSTRIS ET MA-
GNIFICI DOMINI D.
GEORGII CHODKIEVICII
GENERALIS CAPITANEI
SAMOGITIÆ.
&c. &c.

A SODALIBVS CONGREGA-
TIONIS PARTHENICÆ, ACADE-
MIAE VILNENSIS, SOCIETATIS
IESV, MORTEM SODALIS SVI
ET MODERATORIS QVON-
DAM VIGILANTISSIMI, DE-
FLENTIBVS CON-
SCRIPTA.





VILNÆ
In Typographia Academiæ SOCIETATIS IESV,
Anno Domini 1595.


IN STEMMA ILLVSTRIS. ET MAGNIFICI DOMINI DEFVNCTI.



SYmbola CHODKIEVIÆ cernis virtutis auitæ,
Quam retinens auget ſplendida poſteritas.
Crux iaculum ſcindens, monſtrat pro nomine Chriſti
Hæc quod ſit velox arma mouere domus.
At cataphractus eques, pugnantia pectora ſignat,
Quæ Litauos inter nota fuére Duces:
Tres litui famam reſonant, quam quilibet ex hac
Gente, ſibi, ſoboli, gignit auiſq; ſuis:
Effigies Diui configens monſtra Georgi,
Hæreſibus, vitiis, corda inimica notat.

GREGORII DAMBKOWSKI.

ILLVSTRI ET MAGNIFICO DOMINO D. HIERONYMO CHODKIEVICIO CASTELLANO VILNENSI, &c. &c.



LVCAS CRASNODOMSKI Parthenicæ sodalitatis Præfectus fælicitatem.




Qvantum sit Parthenicæ sodalitatis nostræ studium, Illustris, & Magnifice Domine, ad tuam tum corroborandam in nos voluntatem, tum amplitudinem illustrandam, optassemus equidem, vt maiore cum voluptatis tuæ sensu, alijs potius ex officiis nostris perspiceres, eo præsertim, quo statueramus nuper auctæ dignitati tuæ gratulari: quàm ex funestis hisce Threnodijs; quibus magno mœrore nostro, & bonorum omnium dolore, ac tua præcipuè acerbitate, fratri tuo parentamus. Sed ô miseram vitæ rationem, quæ tam diu residet in voluptate, quàm diu fortunæ postit libido! En quàm repentè, ac nec opinato conuersâ fabulâ, è Comico Tragicum Drama fortuna concinnauit, cum omnia nobis ex lætitia, & voluptate, qua te noua Castellanatus dignitate auctum esse gaudebamus, ac vt ea sempiternæ tibi laudi esset à Deo, & Diua tutelari nostra precabamur: ad luctum & lachrymas, lamentabilibus tui fratris inferiis excitatas, reciderunt. Neq; enim aut tu solus germanum, aut Alexander & Carolus Chodkieuicij, (duo omniũ existimatione clarissimi viri qui quotidie crescentes ad Reipublicæ nostræ ornamentum, nobilitatem à maioribus partam, sua etiam excellenti virtute magnis augent incrementis) patruelem fratrem amisistis: sed amisit præterea Respub: Senatorem ornatissimum, cùm sua excellentissima virtute, tùm admirabili quadam fatorum benignitate, ciuium saluti, ac Reipub: dignitati

 natum:

natum: qui multa profectò & consilio regere, & modestia temperare, & integritate tueri, & virtute conficere, & auctoritate conseruare poterat. Amisit Lituania vniuersa, ac præcipuè Samogitia iudicem æquissimum, in rebus humanis misericordem, in iudicando seuerum, qui iuris ciuilis rationem nunquam ab æquitate seiunxit; qui sciebat eam sibi potestatem esse datam, vt et, si quem odisset, absolueret, & si quem non odisset, condemnaret: haberet in consilio legem, fidem, religionem: inuidiam, metum, cupiditatem amoueret: deniq; non quid vellet ipse, sed quid cogeret lex & religio cogitaret. Amisit hæc ipsa Deiparæ nomine congregata iuuentus nostra & virtutis exemplum, & Sodalitatis ornamentũ, in qua ille quondam acerrima vi ingenij, & singulari pietatis ardore, adolescentulus, vnà tecum suæ probitatis præclara tyrocinia posuerat: cùm & magna in Sanctißimam Christi matrem eßet pietate; & constanti in quotidianis precationibus quam diligenter ac sedulò obeundis, officio; & se aßidue ad Christi, & eius piißimæ genitricis, Sanctorumq; exempla limaret; & attentè ad extremum videret, ne quid aut faceret, aut diceret, quod aut reprehensum, aut reuocatum vellet: vt ita demum eius spectata & nobilitata virtus, non solum naturâ sed etiam disciplinâ corroborata, cresceret ad Reipub. dignitatem. Hisce de causis exaggerato mœrore nostro, dolorem dissimulare non potuimus, sed eum, istis parentalibus cuicuimodi versiculis nostris, calenti & præcipitata opera nostra effusis, ad posteritatem etiam extare sub tuo nomine voluimus. Tu legendis hisce nostris, fortaßis aliqua ratione, mœrorem ex luctuosa fratris morte acceptum minues, & interdum à solicitudine animum abduces: cùm præsertim scias, sapientis eße, quod allatura est ipsa diuturnitas, quæ maximos luctus vetustate tollit, id consilio prudentiaq; præcipere: neq; expectare temporis medicinam, quàm repræsentare ratione poßit. Nos certè in hoc communi dolore, hac vel sola cogitatione sustentabimus animos; te nobis superesse, in quo viua sit adhuc & spirans imago tui fratris, atq; etiam in nostram Sodalitatem, quasi quædam à fratre ad metam decurrente tibi lampas tradita, beneuolentia duplicata; quando ad illud in te adhuc viuens fratris tui in nos studium, tuæ nobis iampridem perspectæ ac exploratæ voluntatis, geminatam propensionem addes. Vale. Dat. Vilnæ 13. Calend. Nouembris. Anno Domini. 1595.

PARENTALIA
IN OBITVM ILLVSTRIS ET MAGNIFICI DOMINI
D. GEORGII CHODKIEVICII
GENERALIS CAPITANEI SAMOGITIÆ. &c. &c.



IOANNIS MOSAKOWSKI.

CONGREGATIO PARTHENICA MOERENS

ERgone carminibus ſudabunt præla quotannis?
  Chodkieuiumq́ iterum noſtra Thalia canet?
Sudaſſentq́ aliis vtinam mea præla Camænis,
  Materies Muſis Chodkieuiusq́ foret;
Qualis erat, cùm ſe Radiuili principis aulæ
  Inferret medio nobilis hoſpes equo;
Hinc atq́ hinc magna comitum ſtipante caterua;
  Coniugis optatos promptus adire thoros.
O quibus inceſsi, tunc mater onuſta triumphis?
  Gaudiaq́ exiguo tempore quanta tuli?
Tunc mihi Parthenii dociles Helyconis alumnæ
  Carminibus pro ſe tollere quæq́ diem,
Certabantq́ nouis ornare palatia donis,
  Materies ſponſus carminis vnus erat,

Sponſaq́

Sponſaq́ꝫ præ cunctis tali dignata marito.
Laudibus & meritis clarus vterq́ꝫ ſuis
At nunc (quæ rerum mundi eſt conuerſio) quales
Ex imo gemitus pectore mæſta traho?
Occidit ille meæ ſpes vna Georgius aulæ,
Occidit & generis lausq́ꝫ decusq́ꝫ ſui.
Non ita ſuccisus citò flos procumbit aratro,
Non ita meſsoris lilia falce cadunt,
Quàm meus hic grauibus longè dignisſimus annis,
Mox immaturo funere merſus obit.
Hæcne mihi quondam dederas promiſſa parenti,
Muſarum hoſpitium cùm tibi Vilna foret?
Paruus adhuc primaq́ꝫ tener florente iuuenta,
Olim quis fieres maxima ſigna dabas,
Quàm tibi ſanctorum cuſtodia ſedula morum?
Quàm pia virgineæ cura pudicitiæ,
Quàm bene cæleſti flagrabat pectus amore,
Quàm ſolida incenſæ relligione preces,
O quoties ſacras iuuenis proſtratus ad aras,
Senſiſti facilem per tua vota Deum,
O quoties menſæ factus conuiua Tonantis,
Sumpſiſti angelicas ore tremente dapes.
Iam tibi quæ puero Chriſti reuerentia matris,
Curaq́ꝫ Reginæ quanta placere fuit?
Eius vt in cætum lectus, puerilibus annis,
Innocuum vitæ progredereris iter.

Hic ego

Hic ego te docilem veræ pietatis alumnum
Sum complexa meo fida magiſtra ſinu.
Nactaq́; perfaciles monitis cæleſtibus aures,
Qualia monſtraui toxica mundus habet,
Noxia quæ miſcet miſeris mortalibus ægris,
Cæcaq́; ferali corda ſopore premit.
Ah dolet hæc nimiùm miſeræ meminiſse parenti,
Quæ tua me pietas commemorare iubet,
Sed tamen incepto iuuat indulgere dolori
Nec lacrymis vllum ponere velle modum.
Quæ mihi ſperandi de te data copia, quando
Publica permiſsa eſt res moderanda tibi?
Dum Samogittarum Præfecti inſignia geſtas,
Auxiſti patrium Rege fauente decus.
Atq; ſimul Litaui factus pars magna Senatus,
Inclytus eloquio, conſilioq́; potens,
Haud quaquam indecores agitaſti pectore curas,
Maiorum ante oculos fama perennis erat,
Quæ tibi conſuetos demebat pectore ſomnos,
Nec iuuenem paſsa eſt otia blanda ſequi.
Talia contemplans: Litauas ex ordine Nymphas
Luſtrabam ad ſacri grandia iura thori.
Spes erat illuſtres longa propagine natos
Lumina Chodkieuiæ magna videre domus.
Atq; hic ante alias Radiuili ſanguine virgo,
Viſa mihi tali ſponſa petenda viro.

Res

Res confecta. Nouos agitabat Vilna triumphos,
Factaq; communis conscia lætitiæ,
Spectabat proceres, Litauamq; ex ordine pubem,
Atq; Palatinæ festa superba domus.
Tunc mihi Relligio gratari visa, Deæq;,
Quas terra extorres magnus Olympus habet.
Felicem aiebant, et terq; quaterq; beatam,
Cui datus est superum munere talis honos;
Vt possem dulcem cara cum coniuge natum,
Cernere tam casti fœdera inire thori.
Iustitia ex aliis toties mihi Virgo canebat;
(Namq; alias tacitam præteriisse sat est)
Nescis ad quantos tuus iste vocetur honores,
Ille dabit Litauo maxima iura solo.
Vidi equidem magnas illum componere lites,
Vilna solet quando feruere iudiciis,
Dum causam trepidus peragit reus ante tribunal,
Iudicis & solitam postulat actor opem.
Heu me infelicem, tantarum gaudia rerum,
Et spes conceptas sustulit vna dies.
Inuida Chodkieuium quæ letho mersit acerbo:
Iam querulam matrem nil nisi flere iuuat.
Eheu Parcarum tristissima iura sororum:
Eheu crudeli stamina rupta manu
I nunc, & longos vitam tibi profer in annos,
Quando etiam iuuenes mors inopina rapit.

Sed ne

Sed me plura dolor, dolor imis ofsibus hærens
Necquicquam optantem dicere plura vetat.
Vos o Parthenii, dulcis mea cura, ſodales,
Carminis in mæſtos ſoluite verba modos.
Et mecum triſtes perſoluite funera nato
Officijs certent carmina veſtra meis.

PETRI CHOMENTOWSKI.

VERSA IN LVCTVM CYTHARA

NOndum peregit bis, nouus annuum
Phœbus quadrigis ſigniferis iter,
Ex quo, ſuperba coniugalis
Feſta thori celebrauit Heros.
Prò quanta cæpit Pompa forum tuum,
O Vilna, fermè nobilitas auet
Dum tota nuptijs adeſſe,
Munera vota precesq; fundit.
Clara vt nitentem lampade Phoſphorum,
Læto ſalutant cantu auium greges:
Sic noſtra te plauſu, o Georgi,
Extulit Aonio iuuentus.
Nunc Heſpero non diſsimilis ſubis
Nubem tenebris (ah nimium cito)
Denſam, & diem claudis ſupremum,
Amplius haud rediturus orbi.

Dum fausta Fratri sors cumulat nouos
(Quid mirum?) honores, pro merito suo,
Sublimiorem & dignitatem
Attribuit, Litauo in Senatu.
Dum casta coniunx progeniem tibi,
Quantam virentis spem generis? parit:
Tu deseris luctu occupatos,
Gaudia mœstitiaq; reples.
En versa nostra est tibia fletibus:
Stat squallida vxor proxima funeri:
Ceu comparem Turtur peremptum
Carmine Mœonio requirens.
Mœrente Samogitica quæritat
Cum Fratre, priscum nobilitas Ducem:
Ceu miles orbatus parente
Imperijs, validoq; bellis.
Confusa iustis ipsa ego luctibus:
Ceu mater vndis cui perit vnicus
(Quantum potest virtus) meis ah
Lumen obit rutilans Alumnis.
O spes inanes, in medio citam
Quam sæua cursu sors retrahis rotam:
Nec gaudium sinis tenere
Terrigenas solidum, absq; luctu.

EIVSDEM

EIVSDEM.

FAMILIA PLANGENS.

QVæ te tam rigidi rapuit uis efferа fati
O Chodkieuiciæ ſpes, columenq́; domus?
Quæ tam crudeles vitam rupêre Sorores.
Neſtoream Litaui quam cupiêre tibi?
Perfida mors t'une auſa pij depaſcere corpus
Herois? propero vel dare membra rogo?
Magnanime, heû quo te duxerunt fata Georgi,
Heû Lithauo nimium fata inimica ſolo.
Heû quò noſtræ abiit decus admirabile gentis,
Quò Chodkieuiciæ gloria rara domus?
Spargite gentiles lachrymas, laxate dolorem,
Quisq́; pias largo repleat imbre genas.
Si veſtræ vos tangit honos, & gloria gentis.
Dicite, ſpes noſtræ heu corruit ecce domus.
O infauſta dies atro ſignanda lapillo.
Inter funeſtas lux numeranda dies.
O triſtis nimium, o infœlix alea fati,
Quæ noſtrum nobis, tollere es auſa patrem.
O patriæ lux alma tuæ, decus atq́; tuorum,
Tam citò cur moriens deſeris, oro, tuos?
Nec medium complerat iter reuolubilis ætas,
Cum tulit extremum ſors tibi dira diem.
Vos quoq́; pullati Litauæ telluris alumni
Nobiſcum illuſtris funera flete viri.

Concidit ah vestri præcelsa columna Senatus
Heros eloquio, consilioq́; potens.
Vos quoq; Pierides cytharas deponite Nymphæ,
Nænia nunc potius funeris atra sonet.
Et miseræ luctus Niobes, dirosq́; dolores
Incipiat tristis vestra sonare lyra.
Hunc ploret missa cythara crinitus Apollo,
Defleat & mœstis Calliopæa modis.
Dicat lugubres lugens Polyhymnia cantus
Euterpe cesset fundere dulce melos.
Et tu quæ tanto sub Principe tuta fuisti
Gens Samogitarum corda dolore seca,
Atque tuam sortem deplorans astra fatiga,
Et tales mæsto fundito ab ore sonos.
O Deus orbatam tam fido Præside gentem,
Ne tamen auxilio destituisse velis.
Da Lithauis pacem, Radiuili cœpta guberna,
Et Chodkieuicios protege quæso Duces.

FRANCISCI GOLISZEWII.

RELIGIO MOERENTES CONSOLANS.

QVid me toties, Gens Marte potens,
Mœsto ad planctum reuocas cantus?
Ecquando dies aderit tandem, vt
Liceat nobis ponere luctus.

Sed

Sed quid prohibet, gemitus etiam
        Num moderari? moderata iuuant.
        Nimium quod fit, non ſat bene fit?
        O quam multi pereunt luctu.
Tu, tu in primis, generoſa animis
        Coniunx, nimium viduata cito,
        Exere vires: & quod twupereſt
        Animo caſum tolera inuicto.
Prior ah non es, non vltima eris
        Afflicta quibus contigit orbitas:
        Aſpice. Sed quid ſolamur adhuc,
        Exemplis tam miſeris viduam
Miſerum eſt, ſocio pellere planctu,
        Velle dolores. Animus fortis
        Arbitrio ſtat Cunctipotentis:
        Dixiſse ſatis. Deus hoc voluit.
Supereminet hæc conſolatio:
        Quod ſi hic etiam natura poteſt,
        Ratioue aliquid, non parua feram
        Momenta, quibus lacrymam abſtergas.
Melior tibi ſors filiolum dedit,
        Optata dabit ſolatiola hic,
        Donec manibus, geſtu, voce,
        Ore parentem referat toto:
Hic creſcendo reſtituat rem,
        Atq; familiam. Hic ſolida Patrem



 Probitate

Probitate tibi matri exhibeat.,
Sic Neſtoreos degat in annos.
Iam te Hieronymum (gremio fultus,
Nam bellus adhuc infans neſcit
Obitum Patris, gemitum matris,
Quamuis ſtupeat mirè attonitus)
Te Fratrem igitur memorare loco
Licet hoc : viduæ proximus eſto.
Dimidium animæ pars magna tuæ,
Funere merſa eſt. Supereſtne vllus,
Munus tibi, qui non pridem initum,
Vel gratetur, vel ferre iuuet ?
Depone metus, & ſunt, & erunt,
Donec ſubeat Vilia Vilnam.
Habet hoc virtus proprium: eliciat
Vt amicitiam fraternam, etiam
Apud ignotos, ſiue Eoo
Siue Heſperio veniant pelago.
Obit ante diem? Fluminis impetum
O Nile ferox, ecquis retrahat ?
O quot iuuenum corpora voluis
Iſther Schytico malé iuncte iugo.
Sibi ſat vixit; ſatis & patriæ.
Patriæ moritur non ingratus,
Quem conſpexit ſobrium ſemper,
Et munificum : iuſtum, atq; pium.

Tibi

Tibi ſat nondum ? Sic cenſet amor.
Deerat pleno ſi quid numero.
Soboli adijciet, reſtituetq;
Tibi, perpetuò Numen in aſtris.
Mulceat eadem ſpes, & ratio,
Conſanguineis pectora mœſtis:
Veniet tempus; venietq; breui,
Quando reſurget, plaudente Polo.
Studioſa phalanx, te te aggredior,
Minor, an maior datur occaſio
Lamentandi, tibi? luctifico
Vt plus alij lacryment tumulo:
Tibi maior adeſt cauſa orandi.
Ecce ille Heros, tua qui ſocius
Agmina quondam tantum ornauit:
Cynthia quantùm potior ſtellis.
O Parthenici decus omne chori
Hæret ſingultu interrupta
Vox faucibus, & ſatis illud erat.
O Parthenice decus omne domus.

SIMONIS WLOSCII STRZELNEN:

ΕΠΟΝΥΜΙΚΟΝ.

Ἀρκείτω μέχρι τοῦ γαῖαν σὲ Γεώργε γεωργεῖν
Οὐρανοῦ ὄττ' ἄκρου αὖτε γέωργος ἔσῃ
Γῆ σ' ᾔδει, τὰ δ' ἄνω τῶν ζόντων γαῖα καλεῖται,
πλὴν ναίε, καὶ δὶς ἐκεῖ τ' ἔμπρεπον οὔνομ' ἔχεισ

Ἀλλὰ γ

ἀλλὰ γ' ἐκεῖ καὶ ἅγιον βλέψεις οὗ στέμματ' ἔχουσιν
καὶ διὰ τὸ τρεῖς ἐκεῖ τ' ἔμπρεπον οὔνομ' ἔχουσι.

STANISLAI ILOWKSI.

NEMO ME LACRYMIS DECORET NEC FVNERA FLETV.

LVctus facesſant, & querimoniæ,
Iunctumq; carmen flebilibus modis,
Threniq;, conſecrataq; atri
Melponene obſequio doloris.
Quis me querendo neſcius euehat?
Factisue lucem poſse putet meis,
Lamenta lugubresq; cultus
Aſtruere, aut decus inſepultæ
Quæcunq; parta eſt addere gloriæ?
Si hæc cura tangat, iam ſat honoribus
Sponte inſecutis; Nomini ſat,
Fata per eſt, auidæq; famæ
Datum, ſat annis. ſi bene, ſat datum eſt
Vitæ, caducam quam melior dein
Feliciorq; ſempiternum
Excipit exuperans in æuum:
Quæ ſola luctum demit, & explicat
Semel potitis diuitias Dei,
Cælumq; cœleſtumq; regna
Sydera ſydereosq; campos:

Mortemq;

Mortemq́ꝫ nescit, cinctaq́ꝫ casibus
Momenta, nescit mille periculis
Horas, & incerto dolore
Ambiguisq́ꝫ malis reuinctas.
Non turba fallax sollicitudinum,
Infestat illic perpetuum otium,
Curæuè soluunt pertinaces
Curriculum placidæ quietis.
Sed affluentis lætitiæ & boni
Prouentus omnis, veraq́ꝫ gaudia,
Et pax inoffenso pererrans
Ore, diesqꝫ fluunt beati
Ibo, relinquam præcipitem malis
Orbem, nec ausus aspiciam improbos,
Nec fœderata virulento
Consilio & furijs malignis,
Tumultuantis perfidiæ noua
Commenta, motusq́ꝫ in caput & necem
Summæ salutis, Patriæq́ꝫ
Opprobrium exitiumq́ꝫ Regni.
Nec profutura his temporibus magis
Contra exteri hostis, vim atqꝫ potentiam
Consulta, priuato periclo
Nata odijs animare ciues,
Non intuebor dissidium insolens
Infascinatæ plebis, & in suos

Turbam rebellem concitatam
Innocuos fidei magiſtros.
Dum errore cæco percita, ſobrio
Nullum relinquit iudicio locum,
Deſideratamq; vnionem
Iam toties, ſubitò recuſat.
Furore præceps, quod metuo (potens.
Auertat orbis rector in impios
Hoſtes, ſuosq; liberali
Donec ope & patriam immerentem
Periculoſis caſibus eximat
Deus) ſilebo: & iam moriturus hæc
Dico Senator, præcaueto
Niq; caues metuas ruinam.

EIVSDEM.

ANAGRAMMA.

HOC DECVS ET IVGIS VIGOR:

IOANNIS MEDZIBOZ.

AD ILLVSTR: ET MAG: D. VILNEN:

PARAMYTHITICON.

SIſte modum lacrymis Dux inclyte, ſiſte dolori.
Extinctum Fratrem, nil iuuat iſte dolor.
Qui conceſsit ei vitam vitam abſtulit idem.
Parendum eſt fati legibus, atq; Deo.

Frustra corde doles, tuus incolit æthera Frater,
Nunc magis ac olim proderit ille tibi.
Vnde rogas scierim? probitas, moderatio virtus.
Nullius et labis, conscia vita docet:
Non sic certa reor Pythii esse oracula Phœbi,
Quàm benè viuentem fata secunda sequi.
Sat vixisse diu censendus qui benè vixit,
Et patriæ, nullo defuit, officio.
Siste modum lacrymis, Dux inclyte siste dolori.
Sit Dux æqualis, sorte in vtraq; decet,
Finit cuncta dies, ast hac ratione præire,
Res est prudentis, magnanimiq; viri
Mors miseræ finis vitæ est, melioris origo.
Impius infaustum, iudicat esse mori.
Sed iubar ecce Domus cecidit, spesq; vnica nostra
Dices, parce rogo, iure dolore premor?
Esto? sed an desunt præclaro sanguine creti
Plures Chodkieuij, quos tulit vna domus?
Vt reliquos sileam, nulli virtute secundos,
Consilio, factis, Marte fauore fide,
Nonne domum titulis claram maioribus ornas,
Cum tibi sit maior iure dicatus honos?
Quàm benè tu lapsis poteris succurrere rebus,
Qui præferre tuis scis aliena, bonis?
Cedere priuatis, qui non vis publica, quique
Plus patriæ natum, quam tibi te esse putas?

Orbatum, quod si tædet te viuere, Fratre,
Si sine germano, est vita molesta tibi:
Disiuncti ad tempus superiûn iungemini in aula,
Sed prius hic annos transige Nestoreos

EIVSDEM EMBLEMA I.

INFOELIX FÆLICITAS.

EN vindex scelerum quendam per amœna vireta
Grande nimis ducit, morte piare nefas.
Immemor ille tamen lethi, sortisq; futuræ.
Gaudia, vt aduersi nil subiturus, agit.
Quæris quid vindex, damnatus, amœna vireta?
Mundum, mortales, gaudia vana, notant.

ALIVD EIVSDEM.

PATENT CINERIBVS DOLI.

Ex Dan: cap 14.

DVm falsi absumunt vates alimenta reposta
Pro Baal, incautum decipiendo Ducem,
Tum cinis aspersus terræ vestigia prodit
Nocturna, & magnos detegit esse dolos.
Sic quando in cineres post mortem soluimur atros,
Mundi de nostro puluere techna patet.

ALBER

EPONYMICON.

Respondere ſuis cum par ſit nomina rebus,
Vt reſonant cunctæ nocte dieq; ſcholæ:
Cur, ſiquidem nomen trahis à tellure Georgi
Tam facilè hac miſsa, carpis ad aſtra viam?
Fallor? an & cœlum viuentum terra vocatur?
Hoc illic nomen quam tibi conueniet!

EIVSDEM.

MORS VLTIMA RERVM LINEA.

EX fratribus duobus,
Qui vidit antè lucem,
Eam prior reliquit;
Poſterior alter ergo
Eam dein relinquet.
Hoc non nouum mihi inquis:
Nouiſsimum ſed ego inquam.

EIVSDEM:

NAM TVA RES AGITVR.

QVamuis vos geminos, ſatisq; fortes,
Et multa famulum cohorte ſeptos,
Fratres Chodkieuij Atropos videret:
Eſt aggreſsa tamen duos, repenteq;

Vnum ſuſtulit, huncq; fortiorem:
Cui ſi non poterant reſiſtere ambo,
Alter quid faciet relictus vnus?

EIVSDEM.

AMOR PARIT DOLOREM.

SI me quis veſtrûm lacrymis reuocare valeret?
Nil gratius mihi lacrymis veſtris foret,
Nunc ſeu ridetis fletu ſeu ora rigatis,
Iaceo & iacebo, facite quod vobis lubet
Sed veſtrum fletu lenitis forté dolorem?
Monſtratis & amorem mihi veſtrum? placet.

EIVSDEM.

DOLES? ET EGO.

QVod fera mors cunctis vobis me ſuſtulit vnum
Veſtra en immodicis fletibus ora madent.
Quid ſi nos cunctos eadem mihi fata tulerunt,
Pectora, quis ſenſus noſtra putatis habet?

HELIAE BOGDASZEWSKI.

NVLLA TE TERRIS RAPIET VETVSTAS.

DVm tua in æternum clauduntur lumina noctem,
Vipereus vidit liuor & exiluit.

Cur?

Cur? quia seu mores, vitam, nomen'q;, decusq;,
Seu vidit magni pondera iudicij:
Credidit hæc vnà, cum corpore, posse sepulchro
Occulièr: sed enim Phæbe latere nequis.
Quod tam Martis honore bonus, quàm Palladis arte,
Et pace, extiteras, in Superosq; pius
Te miles te Musa canent, rurisq; colonus
Suscipient Superi: rumpere liuor edax

IOANNIS MARCINOWICZ.

NVNC DEMVM BENE NAVIGAVI CVM NAVFRAGIVM FECI.

Defunctus & Parcæ.

D. PArcæ non parcæ, fera debita; debita nondum;
Inuito vitæ, soluere præcipitis?
Vita mihi requies, cur non es vita cadenti?
Vitales tales spiritus vsq; dabis?
P. Nos Charites charæ, mundo mundo tibi paruo,
Inuitæ, vitæ stamina, colligimus.
Illaq; fila modò celeri connectere nodo
Dum volumus; volumus ducere stamen Here.
Inuitæ vitæ; post Lethum, stamina lætæ
Nectemus vitæ, huc mors sine morte veni.
D. Si Mors est sine morte, veni. ô lætum mihi Lethū,
Parcentes Parcæ, stamina colligite.

Sic vitam

Sic vitam parcæ, Parcas Mors aſpera vincet,
Ac Mortem virtus, quæ ſine morte viget,
O placidum Martem, cui ſors facilis ſine Morte!
Æternum vt valeas viuere, diſce mori.

HIERONYMI GRABOWSKI.

ΤΥΦΛΟΣ ὉΡΩΝ.

Ὀφθαλ[illegible] θεάσομεν, εἰ δυνατόν γε
τυφλὸς [illegible] ἔγετ', ξυμβλέπειν δὲ δοκεῖ.
Μηδὲν [illegible] βασιλεὺς ἂν βουκόλος ἀνὴρ,
οὐδὲ περισκοπέει, πλούσιος ἠὲ πένης
Ἀλλ' [illegible] καὶ [illegible] ξύμπαντας ἐφθίεις
οὐδέ γε μικρότατος τὸ ὄμμα σὸν ἐκφυγέει.

IOANNIS NIKRASZEWICZ.

PAN SAMOGITIÆ PATRONVM DEFLET ADEMPTVM.

PAN MEns præſaga mali luctus dat ſigna futuri,
Sponte genæ lacrymis immaduêre, ECHO Feræ,
P. Quô vox dira, meas è vallibus auocat aures?
Quæ feræ? Num Tygris, Ditêne Natæ? E. rata
P. Quæ rata ſunt? Mortisne dies aut terminus æui?
Nil certi eſt; præter quod moriaris, E. auis.
P. Irrita dicta refers, fluit ætas fluminis inſtar
Mors gerit in cunctos ſpicula clara E. Para.
P. Lumina num lacrymis? (lacrymis ſi ærumna leuatur)
Me ſors orbauit Principe mors cita? E. ita.
P. Vera refers Echo, Nuper præſagia ſenſit,
Senſit & obſtupuit mens mea tota E. nota.
Fleuerunt

P. Fleuerunt niuei circum caua littora cygni,
Ante mei domini triſtia fata. E. data.
P. Et mœſtæ Halcyones per deuia ſaxa querelis
Impleuêre maris littora flaua. E. laua.
P. Funera tanta igitur fletu decet vſq; lauâre
Nam tua, Pan, obijt cura, patronus E. onus.
P. Soluit onus magnum, qui ſeſe morte reſoluit
Vt queat in placida viuere pace. E. tace,
P. Cur reticere iubes? Chodkoni applaudit olympus,
Mortem quippe bonam fert bona vita. E. lita.
P. Incendam fragiles lauros, mœſtasq; cupreſsos
Hæc reddentur ei, vota ſtatuta. E. puta.
P. Grata putabo Deo vilisſima dona litare
Corde datur puro ſi ſibi tale. E. Vale.
P. Vltima diſcedens ſyluis, in marmore ſcribam,
Viue, quieſce, meum mite leuamen. E. Amen.

EIVSDEM.

TEMPVS NOS AVIDVM DEVORAT ET CHAOS.

SPlendor Romanûm, rector pietatis & æqui,
Reduxit priſcum qui decus omne, Numa;
Iuſtus erat: tamen hunc Stygias mors miſit ad vndas,
Cuncta auidum tempus deuorat atq; chaos.
Gloria Pœnorum, furibundo Marte cruentus
Annibal, in bello fortis & acer erat:
Hic tamen occubuit Martis certamine victus
Cuncta auidum tempus, deuorat atq; chaos:

Sparta vetus viguit, magnæ viguêre Mycenæ,
Dum gemini Atridæ iura ſacrata dabant,
Attamen & Sparta, & magnæ cecidêre Mycenæ,
Cum qꝫ ſuis ducibus deuorat omne chaos.
En Litauium columen, Chodkieuicz ſtirpis auitæ
Omnibus his titulis qui decorandus erat,
Nunc vita functus fatali in puluere dormit,
Nos auidum tempus, deuorat atqꝫ chaos.
Tempore nos orimur, mox orti, tempore paruo
Duramus, ſpolium temporis atqꝫ ſumus.

LAVRENTIVS KRZYZANOWSKY.

AVREA ÆREIS.

Lituanæ lumen gentis, patriæqꝫ Georgi,
Tam citò ab humana cedis in aſtra via?
Nec noua te retinet cara cum coniuge proles;
Nec lacrymis prohibet, ſanguine iuncta cliens?
Slucia te, ſparſoqꝫ vocat Samogitia crine,
Porrigit et dites, cum prece, Roſien opes,
Supplicat inſigni decoratus munere Frater:
At tu das ſurdo tot pia vota Noto.
Scilicet, in terris quem non bona tanta morantur,
Hunc ſecum ad Superos commoda plura vocant.

BERNAR

BERNARDI MASMANNI.

VTILE DEIPARÆ PENDITVR OBSEQVIVM.

GRatia regalis, genus altum, regna, vireta
Aruorum, patriæ commoda, prolis honos,
Et quicquid tandem dederis fugit ocyus Euro,
Cum quasi principij vix mora parua fuit.
Stat contra, ſtabitq́ vt aheno cardine fixa,
In matrem pietas relligioſa Dei,
Cumq́ manum totus malefidam ſubtrahit orbis
Demum adiutrices porrigit illa manus.
En memor obſequij regum Regina, ſalutis
Extorrem famulum non ſinit ire ſuum.
Sola ſua præſens ope, præſidioq́ labantem
Firmat & in proprio protegit ipſa ſinu.
Te felicem igitur ſolida virtute Georgi,
Cui ſtudium cordi hoc nobile ſemper erat.
Cætera mors rapuit, quamuis ingentia: Sola
In Superos pietas morte perire nequit.

GREGORII DAMBKOVSKI.

MISERI MORS META LABORIS.

AD metam propero: fixus ſtat terminus æui;
Felix ille animi qui prior aſtra videt.
Vita breuis: morimur: cinis es, ventura memento:
Nam pede præcipiti mors inopina ruit.

Cui parcunt hodie, non mitia nomina Parcæ,
    Craſtina lux illi fata ſuprema feret.
Fata volant; trepido ſunt omnia plena timore,
    Nonne homini quæuis hora timenda venit?
O vitam inuitam, quid ſemper fata tremiſcàm?
    Clotho ades; & ſtamen rumpito; liber ero.

EIVSDEM.

SI FORTVNA LEVAT CASVS MEMOR ESTO FVTVRI.

QVid fruſtra fortis culmen comprendere geſtis,
    Si properè é ſummis truſus ad ima rues?
Nonne ego ſummarum conſcendi culmina rerum?
    Quem mihi nunc (cernis) fata dedere locum?
Tu quoq; nunc flores vanoq; in honore ſuperbis;
    Cras ruet in iugulum Mors inopina tuum.
Ex imo ad ſuperos quæ te Fortuna leuauit,
    Hæc eadem caſu te grauiore premet.
Quid rotulæ fidis? nihil es niſi ventus & aura,
    Num firmum poterit ventus habere locum?
E nihilo ad nihilum properas: Mors imminet, horres?
    Omnibus iſta tamen nonne terenda via eſt?
O infelicem qui ſorte elatus in altum,
    Ante oculos finem neſcit habere ſuum.
Vita via ad Mortem eſt metæ memor eſto viator
    Meta tibi eſt vermis, puluis, & vmbra, nihil.

ALBERTI KRZEKOTOWSKI.

ΑΡΕΤΗ ΜΟΝΗ ΤΩΝ ΚΤΗΜΑΤΩΝ ΑΘΑΝΑΤΟΝ.

Εὐφραδία, γνώμης δείνωσις, χρήματα, ῥώμη,
    Δόξα, θεοφροσύνη, καλλιέπεια καμεῖς;
Φεῦ τίς πιστεύει κλήρῳ αἴκεν τόσα δῶρα,
    Καὶ τὰς νοῦ δυνάμεις μοῖρα τάχει ἄρει;
Μήτιγε δὴ ἀρκεῖ φήμην ἣν πράγματα τίκτει,
    Οὐκ θέλει ἀθάνατον μοῖρα φθίειν τε κλέος.
Ἄφθαρτη ἀρετὴ νεανίζει, ζῇ διὰ παντός,
    Καὶ ἀρετῆς πομπὸς δόξα γεραιὰ θαλεῖ.
Εἰ ζητεῖς ἐπὶ τύμβῳ ζωὴν ἀμβροσίαν ζῆν,
    Μήτε σοὶ ἀλλ' ἀρετῇ, ζῆθι σὺ ζῆθι θεῷ.

EIVSDEM PARAPHRASIS.

VIRTVS POST FVNERA VIVIT

SVadela, ingenium, grauitas, opulentia, robur,
    Nobilitas, pietas, forma venuſta iaces?
Heu quis Fortunæ fidat, ſi munera tanta,
    Totq; animi dotes Parca inopina tulit?
Non tamen eripuit famam quam geſta pararunt:
    Æternum haud potuit perdere Parca decus.
Virtus lethi expers viget, ac poſt funera viuit,
    Virtutisq; comes fama vireſcit anus.
Qui vis poſt cineres, æternos viuere ſoles
    Non tibi, virtuti viuito, viue Deo.

STANISLAI WOINA.

O FELICEM OBITVM.

AN non captiuus squallenti carcere septus,
Ardet quamprimùm liber adesse suis?
Terrarum solitus varios decurrere tractus,
An non exactum feruidus optat iter?
Ambiguas pelagi qui carbasa mittit in vndas,
Portum nonnè statim tutus adire cupit?
Qui pulsus patria ignotos habitare penates
Cogitur, an finem non cupit exilii?
Sic Chodkieuici vernanti dum cadis æuo,
An non plus alijs prosperitatis habes?
Quippe breuem vitam nactum, non longa fatigant,
Carcer, iter, pelagi fluctus, & exilium.

IOANNIS MILECKI.

CINIS EXÆQVAT OMNES.

CVi nuper Musæ lætos sonuère triumphos,
Atq; thori gratum panxit Apollo decus:
En iacet exiguo coopertus tegmine saxi,
Oblitus Phœbi, ac immemor Aonidum
Hiccine qui Tyrio nuper fulgebat amictu,
Et cœli radios vincere nisus erat,
Hiccine qui nuper tenera uiridiq; iuuenta
Ferbuit, Enossi tempus habere volens,

Quem

Quem Fortuna comes vario ditauit honore,
Et Samogittarum ſceptra benigna dedit,
Hiccine qui denſa comitum ſtipante caterua
Præluxit reliquis, hacce recumbit humo?
O Diuas Erebi triſtes, diſcrimine nullo
Plebis & Heroum corpora puluis habet.

IACOBI EVCHOLCII.

SODALITAS PARTHENICA MOERORĒM ET DESIDERIVM TESTATVR.

HEu quàm valido ſaucia vulnere
Plangere cogor? Quamuis dubitem,
Planctusné magis tibi conueniat,
Anné applauſus, care GEORGI.
Tua me virtus ſperare benè
Iubet, & faciem rore madentem
Tepido, erroris tacitè damnat,
Num flenda venit virtus obita?
Eadem rurſus deſiderium
Longè inflammat grauiore face:
Subijcit ignes pietas inſolens,
Moresq; graues rarumq; decus.
Tu gemma meis, tu lumen eras:
Miſſum rutilo lumen ab axe.
Te propoſuit ſolidum socijs
Exemplum alijs, etiam poſteris.

Hoc

Hoc testatur munificentia
Monumentis tot patefacta pijs,
Oscula nigranti fixa solo,
Lacrymæ fusæ, fusæ'q; preces.
Quoties magna præeras laude
Nostræ domui? Quoties pedibus
Inopum adiectus dona tulisti,
Vilna facinus mirante inclytum?
Cedant istis Amphitheatra,
Et pyramides, Mausolæa'q;
Tua sunt, magnis laudibus Heros,
Fixa in cœlis tanta trophæa.

IACOBI FELKEL.

NON VINCES LACRYMIS.

QVorsum tot lacrymæ per singula verba cadētes,
Quæ cognatorum funera mœsta rigant?
Quid mirum repeti, quæ cuncti reddere debent,
Et tolli, nullus quod retinere potest?
Stat fixum cunctis & ineluctabile seclis,
Vt Mors vitam hominum sub sua iura trahat.
Dum ploras ergo cognatos funere mersos,
Ploras id fieri, quo sine nullus erit.

ANDREÆ

NICOLAI ZALESKI.

ΓΡΗΓΟΡΕΙΤΕ ΟΤΙ ΟΥΚ ΟΙΔΑΤΕ ΤΗΝ ΗΜΕΡΑΝ.

Σήμερον ἠγερθεὶς, ἄνθρωπε τόδ᾽ ἔσχατον ἦμαρ
τῆς ζώης οἴου ἔμμεναι ἀργαλέας.
Μήδε ἀπημοσύναισιν ἀπερχομένοισι πεποιθὼς,
τολμᾷ ἐπιχέασθ᾽ αὔριον ἀμφίβολον.
Πολλ᾽ ἄκρων πίπτει χειλῶν κύλικός τε μεταξύ.
ὥρα τε πολλὰ μόνη κᾂν ἀέκοντι φέρει.
Κεῖνος μὲν παίζων ἔπεσεν, κεῖνος παρὰ δαιτὸς
Ἐπνίγη, αὐτὰρ ὁ, χθὲς ἐν κλισίῃσι σάος.
Ἄστατος ἐστὶ τροχὸς, μικρός τε πεπηγμένος, οὗτος
τυφλὸς, ἀείστρεπτος, πολύτροπός τε βίος.

ANDREAE GRANCKI.

QVIDQVID FORTVNA DONAVIT, MORS ASPERA DIRIPVIT.

FOrs quondam instabilis sub sydera celsa superbas
Iactabat voces, talia dicta ferens:
Me duce Chodkieuicz generoso stemmate cretus,
Insignes atauos exuperare studet.
Author eram, vt summis, deuinctus fœdere firmo
Principibus, coleret nobile coniugium.
Est meus ille fauor Tutoris nomen habere.
Sluciadum gazas obtinuisse graues.
Quod sub Parrhasio diffudit sydere famam,
Muneris hoc etiam nouerit esse mei,

Talibus auditis; cur te Fortuna superbè,
Mors ait, extollis? cur tua gesta canis?
En ego dirarum veniens à sede Sororum,
Omnia quæ iactas munera surripio.
Proh quanti exagitant stimuli sub pectore Parcas,
E medio vt tollant Principis ora pij?

IACOBI ROGOWSKI.

NEQVICQVAM PLORAS MORTVVM QVI CERTO MORITVRVS VIXIT.

QVid ploras, Sophia, vt quid tanto solueris æstu
Mœstitiæ, lacrymis vultus cur ille serenus
Exundat, Cœlisq; in nigra supplicat vmbra?
Quò comes oculos frontemq; obnubis amictu
Horrifico, labat atrato sub pondere corpus,
Et cordi infixus dolor; opprimit? impia fata
Vsq; adeonè iuuat nostris se innectere rebus?
Iam nosco lacrymas: socio viduata, dolendas
Instruis exequias, tam caro coniuge dignas,
Qualis erat quem fata tibi vetuêre maligna,
Iure quidem illius florens sibi vendicat ætas,
Chodkieuiciadumq; Domus spes maxima, tales
Exequias, dignus longæuo funere: cum quo
Plura tibi forsan Mors effera sustulit vno
Tempore, quàm placata vnquam Fortuna refundet.

Vix ſemel æthereum Phœbus percurrerat orbem,
Vt thalamis ſociam, & propriæ te aſſciuerat aulæ.
Quo primum florem emiſit, fructusq; parabat
Tēpore, grando atrox quatit, horridus vndiq; turbo
Stringit vitales vrenti flamine fibras;
Et ſtatim vt à ventis diſcordibus acta Phaſelus,
Euulſa in ſterili prouoluitur arbor arena.
Heu quæ tunc animo mœſtoq; in pectore curæ!
Haud credo Alceſtis renuiſſes fata, virumq;
Ad primam duro reuocaſses funere vitam.
Sed compeſce pias lacrymas, non tu vna marito
Orba doles, aliæ longas in fletibus horas
Ante trahunt, quas hæc viduauit labilis ætas,
Nulla tamen ſæuam flexit perſuaſio Mortem.
Quid tu flebilibus, pulcherrima Laodomia,
Vocibus imploras! cæſi petis ora mariti:
Tota in amore furis tota implacabilis ardes:
Vt verò afflictæ vana ſuccurritur vmbra,
Amplexantem te nequicquam eluſit imago,
Luctantemq; dolor rapuit de corpore vitam.
Tam dura in miſero tolerantur funera luctu!
Heu fera Mors, quam nulla mouet violentia & iræ,
Nec molles lacrymæ: ſit quiſquam opulentior amplis
Theſauris Arabum, quodue India protulit aurum
Vnius arca ferat: quamuis adamantinus vmbo
Tela domet, tamen vt vafras Mors expedit artes

Non miſer expedies laqueis caput : ibis inerti
Sub falcem ſimilis. Tu coniux flebilis una
Tot lamenta feres? & te quis flebit, vt iſtam
Attinges metam? flectes tunc forſan vtramq;
Ad lacrymas aurem? nullus tunc ſenſibus (inquis)
Senſus erit : nulla exanimi hoc in corpore vita.
Vana quid ergo animum anxietas, quid pectus acerba
Fata premunt? reuocanda animo ſpes vna ſalutis
Qua freti, Fortuna dabit quodcunq; ferendum
Perferimus, lætiq; breues traducimus annos:
Non letho terretur amor, ſecurus auitæ
Virtutis ſectatur iter, curſuq; peracto
Incipit æternam moriendo viuere vitam.

LAVRENTII BORLANGII.

ΠΑΝΤΕΣ ΙΣΟΙ ΝΕΚΥΩΝ.

Ἐμβαίνεις αὖ τυρίῳ περιβλήματι κλεινὸς,
    καὶ συχνῷ στέρρα πάντοθεν ἐγκεκυφώς.
Κέκτη τοῦ κόσμου περίσσια πολλὰ κρυφαῖς,
    ὡς εἴλει λάμπρος κύματα ῥεῖα τάγος.
Τοὺς μεγαλοπρεπέας τ' οἴκους δυνατῶς τε νεάζεις.
    καὶ σοὶ γῆς πάντες προσκυνέουσι καλῶς.
Εἰς μοίρας γὰρ ἐπεὶ ἤπαγες πτώματι γοργῷ:
    μῶν ἐπικουρίσει ταῦτα κατοιχομένῳ.
Ὥσπερ ἀνεὶ φθόριος σοῦ λείψει κάλπις ἀνάγκη:
    τῶν μεγαλοπρεπέων οὐ ποθέουσι νέκροιο.

IOAN.

IOANNIS DLVSKI.

SENATOREM VT LEGVM CVSTODEM MORI QVID MIRVM.

LEgum cultor eram, haud mirum si lege iubente
 Occumbo: pulchra est hæc mea causa necis.
Vixi lege tua fateor, Sigmunde Monarcha,
 Sed iam quod viuam, parcito, lege Dei,
Vt dignum capiam munus, patriamq; relictam,
 Si cœlum dabitur, per mea vota iuuem.
Vt cui consilio viuus prodesse cupiui
 Mortuus huic precibus viuere non renuam.
Tu modo Rex Sigmunde, peto, proceresq; fauete,
 Meq; sacris votis, sit pia cura sequi.

IOANNIS FLORENTII

ΨΥΓΗ ΚΑΙ ΕΡΩΣ.

Πολλοὶ μὲν κόσμοιο κατήγοροι οὐλομένοιο
 Ἀλλ' ὀλίγοι τούτου βουλόμεθ' ἐξορίαν.
Εἰ θανὸς βίος ὦ ἄνθρωπε κένος τε πέφυκε,
 τίς, πόθεν ἐς οὗτος, τῷ περιῆκσαι ἔρως;
Οὗ ἕνεκα μνήμην θανάτου καὶ οὔνομα φεύγεις
 τὸ ψιλὸν μηδὲν βλάψαι ἐπιστάμενον.
Δεῦρ' ἄγε κόσμον ἅπαντα τε λείψας μήδεα κόσμου,
 Ἔκτινον ἐς ζώην ἴσιον οὐρανίαν.

ΤΙΜΗΟΣ ΕΝΩΠΙΟΝ ΚΥΡΙΟΥ Ο ΘΑΝΑΤΟΣ.
ΑΓΙΩΝ ΑΥΤΟΥ.

Δεινοτάτην πάντων Μοῖραν καλέουσιν ἅπαντες,
    Ἥν περ ἀναιτίη ὢν οὔνομα τοῦτο φέρει.
Οὐ φοβερὸς πέλει οὐ στυγερὸς θανάτοιο βαδισμός·
    Εἰ σὺ μόνον στυγερὸν πρᾶγμα νόσον τε φύγῃς.
Τιμήεσσα ἔφυ ψυχῆς ἀπόλυσις ἀρίστης,
    Τοῦ τε καλοῦ θανάτου μηδὲν δραιότερον.

STEPHANI SVLATICKI.

FATA DAMNVM CONTINVANT.

QVod malum tandem, Litauum propago,
Mortibus crebris procerum piabis?
Quo, precor, tantùm potuêre triſtes
Iure Sorores.
Vix Domus nuper Radiuila, charo
Iuſta perſoluit lacrymoſa, Fratri;
En Domo rurſus rapitur potens vir
Chodkieuiana.
En quibus iam iam gladio rotanti
Vis fuit, Thraces domuiſſe tetros,
Et ſacræ laudes Fidei ſub aſtra
Tollere, non ſunt.
Ergô ſi tantis viduata donis,
Quem petas, vel quo fugias carebis,

Terra

Terra clarorum Litauum, precando,
Numina flecte.

MARTINI VOYNA.

MORS HOMINUM LATRO.

MIles eras natus terrena in Regna, GEORGI,
Perpetuumq; humeris arma fuère tuis,
Parte hostis quoniam circumuolitabat ab omni,
Fallacis simulans fœdus amicitiæ.
Te contrà mundi splendor fucatus iniqui
Ibat, vim fractam sensit at esse suam.
Ibat & illecebris maculosa potentia Carnis,
Sed mox virtutis non tulit illa minas.
Surgebat Dæmon fraudem meditatus iniquam,
Senserat ast artes nil valuisse suas.
Iam fera Mors demùm sæui latronis ad instar,
(O facinus dirum) clam tua terga ferit.
Vincere non potuit, spoliiq; cupidine capta,
Reddit humo corpus, spiritum ad astra fugat.

VALENTINI SKROBACZEWSKI.

ΠΑΣΑ ΓΗ ΤΑΦΟΣ.

Εἷς πέλεται θανάτου βαθμὸς δειλοῖσι βροτοῖσι,
Ἥτε μία πάντας αὐτίκα δυσαμένην.
Ὡς οὕτως παντῇ τε καὶ αἰὲν μυρίο μοῖρας,
Ὡς παντῇ καὶ αἰεὶ χθὼν χθονᾶ πόσσι πατῆς.

NICOLA

MATVRE SALVTI CONSVLE.

Infelix miles, tum primùm qui parat arma,
Quando trux hoſtis cominus enſe ferit.
Imprudens æger, iam iam medicamina poſcens,
Dum prorſus medici nil valet auxilium.
Demens athleta hoſtilem qui iactitat artem
Tunc ſe uicturum, cùm dolor oſſa coquet.
Excors eſt latro qui tutum ſe fore ſperat,
Cum ſiſtit duri iudicis ante thronum.
Nempe reor tales, qui rectam ducere vitam
Tunc cupiunt, quando mors truculenta ruit.

GVLIELMI SOTERONI ANGLI.

MOERОREM TERRIGENIS GAVDIVM COELITIBVS ATTVLIT.

SPes hominum inſanas, ſteriles vulgíq; labores,
Mœſto cum gemitu fleſti Heraclite ſatis,
Et ſatis in riſum laxaſti membra ſolutum,
Abderitano ſanguine Democrite.
Horrenti obruitur letho ſpes maxima gentis
Chodkeuiæ, Litauum fulgida ſtella cadit.
Palladi amatus abit Phœbo dilectus, & ipſis
Cælicolis charus, charus & orbigenis.

Excidit, ah ſubitò, præſtantis gemma Senatus,
Telluris rigido; proh, tumulanda ſinu.
Perge Heraclite oculis imbrem deducere, riſum
Prome magis lætum feruide Democrite.
Defle Heraclite virum terris decedere ſummum,
Ride, dum ſcandit, ſydera Democrite.

ADAMI ZERDENSKI.

ΜΕΛΕΤΗΣΟΝ ΤΑ ΕΣΧΑΤΑ ΣΟΥ.

Μήποτε μελλήσῃς ὅτι ζῇς ἀμέλησον ὁδοῖο,
καὶ πρόσβλεψον ἀεὶ ἐς πέρας ἀρχόμενος.
Δυσσεβέος βιότου πέλεται καὶ τ᾽ἔσχατα πικρά,
τῆς δὲ καλῆς ἀρχῆς καὶ τέλος ἐστὶ καλόν.

GEORGII IVRGEVICII.

VIDE QVID OPTES.

IN nece communi, quisnam pro munere poſcat,
Vt ſibi poſtremò decidat enſe caput?
Hoc faciunt ſtulti, fragilis qui ſtamina vitæ,
Poſt diuturna ſibi tempora rupta volunt.

IOANNIS BOANARGII.

QVIS TEMPERET A LACRYMIS.

QVod fuit Argolicis populis inuictus Vlyſſes,
Quod pius Iliacis ciuibus Hector erat,

Hoc Litauæ fuerat genti Chodkicuius Heros,
Et Samogitarum mœnibus atq; focis.
Græcia defunctum per vulnera fleuit Achillem,
Hectora deflêrunt Pergama mœsta suum.
Concidit, heu subitò, Præses Samogitius, anné
Est aliquis lacrymas qui cohibere queat?

IOANNIS BVRBANII.

SAT DIV SI SAT BENE.

NOn est vita breuis, vita si noueris vti,
Viuere nam nosse, est viuere posse diu.
Sic quia uixisti rectè, quis magne GEORGI,
Te vixisse diu iure negare potest?

BARTHOLOMAEI SZVMSKI.

PRVDENS DESIDERIVM.

INgemis, humanæ vitæ quia curta supellex?
Immeritò, debet nam labor esse breuis.
Et quia uita labor nostra est, & plena periclis,
Si sapis hanc certè poscis habere breuem.

IACOBI MATISZEVIC.

MORS DIVITVM PAVOR, PAVPE-RVM DESIDERIVM.

MIrum, & nouum quid, qui cupitis noua,
Audite; nec vos pœniteat, vetus

Dictum,

Dictum, nouum putasse factum.
Omnia sorte mea innouantur.
Sic falce florem ruricolæ metunt,
Flos vt resurgat puchrior, & recens.
Ergo diem dico supremum,
Horaq; iam vacuata transit.
Monstri quid hoc est? Pectora diuiti
Concussa fibris vt trepidant citis?
Facies inalbescit, labat mens?
Fronte triumphat inops serena.
Hic me fatigat non solita prece
Finem vt labori, tristitiæ modum
Ponam, ferocior haud precantis
Arbitrio tamen acquiesco.
Latrone coram sic vacuus canit
Lætum Viator; sic latro despicit
Tumens egentem æris, locatæ
Namq; operæ precium requirit.
Ille ille fulgens murice, gemma, equo,
Mi grata cedat victima: spiculum
Iam torqueo, occidit, eia, blanda
Occidit, illaqueatus esca.
Parcam ergo, vili tegmina Pauperi?
Nunquam pharetras effugiet meas.
Diuersa verum eludo vota.
Tardius aut citius propinquans.

Me quæris? absum. me fugis? insequor.
Cessate: cunctis sat faciam breui.
Triumpho, io, quamuis agonem
Nec metuas, facilis nec optes.
Vanis egenum diuitibus, feros
Seruo Tyrannos, ac iuueni senem
Æquabo; cerne ut præda telis
Facta meis, Litauum columna.
Quid Mors triumphas? Diuitiis dedit
Nunquam cor iste, aut illecebris suum:
Nolis velisúe, Patriæ illi
Parta quies, noua sunt vetusta hîc.

ALEXANDRI MOSALSKI
EPITAPHIVM.

Prô qualem abscondit, quæ deuorat omnia tellus,
Terræ Sol Litauæ, clauditur hoc tumulo,
Sat verbo dictum est, ne Lector plura requiere:
Plura dolor prohibet, te quoq; flere iubet.

FRIDERICI DVKIERI
ALIVD.

PArthenices, Litauum Mariæ, virtutis, honesti,
Gloria, præsidium, fautor, amator, amans.
Morte, polum, terra tegitur, mundana, superni,
Tactus, habet, corpus, spreuit amore, duc is.

IOANNIS LANCKORONSKY
AD SAMOGITIAM.

PArs orbis Litaui tellus Samogitia; quis non
Quæſo tuam triſti defleat ore vicem?
Vnus nempe oculus fuerat tibi nuper, at eheu,
Ille etiam mortis clauditur inuidia.
Quid metuas poſthac, niſi mortis cæca tenebras,
Lumine tam claro quæ ſpoliata gemis.

ALEXANDRI SLVSZKA
MORS NVLLI PARCIT.

OCcumbis triſti Litauum ſtirps inclyta letho,
Et premit æternus membra decore ſopor.
Morte mones ſubita, nulli fas viuere tutum,
Cùm breuis Hectoreos conterit hora viros?
Nequicquam gracili ſperandam in corpore rugam,
Si iuuenile decus condidit vrna tuum.
Atq; inſtar ſcenæ pereuntis gaudia mundi,
Vt ſpectata oculis fabula mundus abit,
Viuite mortales, fati vos noſcite prædam:
Immitis nulli parcere Parca poteſt.

HIERONYMI BIEGANSKY
APOLLO AD MVSAS.

LVx vbi Chodkieuio fulsit postrema parenti,
Abstulit & vitam ferrea Parca suam.
Tristia Parnassi luxerunt funera colles,
Vilnæusq́ Helycon altius ingemuit.
Protinus abiecit Daphnææ frondis honorem
Phœbus, & auratæ conticuire fides.
Cessauère nouem choreas agitare Sorores,
E quibus hæc visa est mœsta Thalia loqui:
Ponamus Cytharas, lacrymas fundamus amaras;
Concidit heu nostri spesq́ decusq́ chori.
Musarum columen, propugnatorq́ parensq́;
Heu dolor immiti funere raptus abis.

GASPARIS IARMVTOWSKI.

VIVE MEMOR LETHI.

QVis celeri currat stadio, vincatue volando,
Incertus quo sit meta adeunda loco?
Vela gubernator quis ventis explicat, ante
Quàm norit quænam littora naue petat?
Parthus eques fidum quo pacto diriget arcum,
Si nusquàm obiectum viderit esse scopum?
Tu vitam instituas rectè quem nulla futuri
Defixum terris, sollicitudo tenet?
Qui mortis nomen fugis ipsum, arcesq́ loquentem,
(Ibis & ipse tamen, stulte nec effugies.)
Viue memor lethi, (nunquam te hæc regula fallet ;
Purus, & æternum crimine liber eris.

ALEXANDRI PECZVGA.

SVOS CREMATA SANAT ICTVS VIPERA.

VIpereos lenire voles si in corpore morsus,
Pellere & è venis cruda venena tuis.
Quæ viuens nocuit, certam (res mira) salutem
Igne cremata dabit, vipera mista mero.
Haud melius Stygios morsus,& dira venena,
Quæ spargit mundus,mente fugare potes.
Quàm si sæpè agites animo,dum vesceris aura,
Busta,rogum, cineres, funera & atra tua.
Et quidquid viuum accendit,delectat & ornat,
Extincto videas quid tibi profuerit.
Noxia quippe animi pestis sic mente recocta,
Fiet Apollinea certior arte tibi.
Ergo age, sume alacer quæ pocula Musa parauit,
Id te Chodkieuij funera mœsta monent.
Nec tibi blandiri celsos patiaris honores,
Diuitias, robur, stemmata & ingenium.
Ante alios etenim fuit hisce Georgius auctus,
Quem tamen é viuis mors furibunda tulit.

PETRI ELERT

O SPES FALLACES HOMINVM.

IMmatura dies, heu, clarum mersit acerba
Morte virum, patriæ sustulit illa decus.

Chodkieuiæ

..odkieuiæ fuit ille domus laus, gloria, lumen,
Ille Senatus pars maxima, spesq; fuit.
Illi sanguis adhuc primi fuit integer æui,
Et firmo solidum corpore robur erat.
Huic primùm crescebat honos, titulíq; dabantur,
Hunc omnis populus, suspiciebat ouans.
Hic primùm cœpit virtutem extendere factis,
Principibus gratus cœperat esse viris.
Primitias sobolis chara cum coniuge vidit,
Multa sui sperans pignora grata thori.
Occidit ille spei tantæ, documenta relinquens
Nobis, quæ vigili pectore quisq; gerat.
Eheu quam vitæ spatium velocibus alis
Aufugit humanæ, quàm citò cuncta ruunt.
Quid iuuat Illustri duxisse à stemmate nomen?
Aut quid habere potens nobilitate genus?
Nam veluti verno saturata virescere rore
Herba solet viridi flore venusta micans,
Illa sed ardenti, subito languescere in æstu,
Atq; comas sero vespere sternit humi.
Sic hodie validæ cui perstant corpore vires
Hic cadit, & subitò redditur vmbra leuis:
Qui spectat plausus hodie & noua gaudia Titan,
Cras idem rediens tristia quæq; videt.
Discite quàm celeri fatum rotet omnia casu:
Et quàm perdurent tempore cuncta breui.

ALEXAN-

ALEXANDRI TVKALSKI

PATROCINIVM SANCTISSIMAE VIRGINIS.

I Nunc & pelago disces optare quietem,
In medio cursu carbasa nostra ruunt.
Aspice quam plenis sulcauimus æquora velis,
Quid tum si liquidis, cuncta teguntur aquis.
Stemmate clarus eram, Augustus virtute parentum,
Fortunæ quoqꝫ dos sat mihi opima fuit.
Inter magnanimos Heroas gratus habebar,
Fauit amicorum, multa caterua mihi.
Vltra quid cuperem? tandem dum deuius error
Sic me ludificat, spes quoqꝫ vana fouet.
Ecce tibi Æolia tellus concussa tridenti,
Ventorum in pelagum, flabra inimica vomit.
Ilicet, heu sortem, in uentos diuulsa sequuntur
Vela, simulqꝫ vndis fracta carina volat.
Interijssem vna, nisi tunc de sydere virgo
Quam colui viuens, lapsa tulisset opem.
Ex me nunc vanis confidere discito rebus,
Exemplo portum, quærere disce meo:

BALTHASARIS CICHOSOSNOWSKI:

SÆVA MORS.

F...e solet fructu maturo pulchra colonis
Tristitiam subito turbine rapta seges.
Maiorem at Lithauum laus magna Georgius heros
Tristitiam patriæ fert lacrymasq; suæ,
Iam maturus erat, iamq; auctus honoribus amplis.
Iam poterat patriæ consuluisse suæ.
Ecce hunc prolixæ sperantem tempora vitæ,
E medio subitó mors inopina rapit.
Siccine mortales nullo discrimine in omnes
Spem fallens vitæ mors truculenta furis?
Sic charos patribus natos, natisq; parentes,
Coniugio iunctos coniugibusq; rapis.
Patronis miseros orbas sic sæua clientes,
Non precibus flecti, non lachrymisq; potes.

NICOLAI SZYSKOWSKI.

VIVE HODIE.

EST leue ceruleis fulmen de nubibus actum,
Est arcu refugo missa sagitta leuis.
Sunt volucres Boreæ flatus, Zephyriq; tepentis,
Effusis agilis decidit imber aquis.
Si tamen aduertas fugientis temporis horas,
Quamq; cito properet mors inopina pede:
Tardum censebis vibratum ex æthere fulmen:
Imbres effusis stare putabis aquis.

Quisquis

Quisquis es ergo caue melius post dicere viuam:
Dum loqueris, forsan corpore vita fugit.

IOANNIS PRVSINOWSKI.

SAMOGITIA EXPOSTVLAT CVM PARCIS.

Sam: Dicite crudeles Parcæ, quæ tanta libido,
Chodkieuio fuerat rumpere fila Duci?
Parca Terræ terra fuit reddenda. S. At Spiritus intra
Corpus perpetuo viuere dignus erat.
Par: Ille sat ætati, sat virtuti, sat honori.
Satq́ꝫ sibi vixit. Sam: Sed mihi forte parũ.
Par: Hercle parum. S. medio cur illi stamina vitæ
In cursu Clotho, non sat amica scidit?
Par: Appulit ad portum, ridet discrimina vitæ,
Sors illum deinceps ludere nulla potest.
Sam: Cur obijt mortẽ? Pa: damnatus crimine mortis
Nemo potens quamuis vertere iura potest.
Sam: O genus inuisum Parcæ eheu. P. parcere Parcæ
Nec ducibus norunt, quos tetigere, iacent.
Sam: At puto defuncto bipatentis Rector olympi
Spiritui requiem, iam super astra dedit.

GABRIELIS ABRAMOWICZ.

MORS AD HOMINEM.

 Ianua

IAnua sum vitæ, nigri sum ianua Ditis,
Quid laceror, si tu liber vtrumque capis?

IOANNIS RUDOMINAE.

ALIUD.

MOrs vocor à morsu, quod si sine crimine viuis,
Mors tibi non morsus, sed noua vita vocer.

ANDRZEY MIEDZYBOZ.

Do Iáśnie oświeconey Kiężny Jey Mći Pániey Pániey Zophiey Rádziwiłowny/ Chodkiewiczowey/ Stárośćiney Zmudzkiey ⁊c.

ZAMKNIENIE.

DOtąd łáćińskie wierſze łzámi omoczone
Podáłyć o cna Xiężno/ Muzy záſmucone.
Teraz iuż chcąc dokończyć ćięſzkich/ ktore czuią
Smetkow/ polſkie Cámeny/ k tobie wypráwuią.
A te przed tobą ſtoiąc w załoſnym ſpoſobie/
W płáczu ſie vtuliwſzy/ ták mowią ku tobie.

Kiedy

Kiedy nád twŷ małżonkić wkwitnaccy młodośći
Cna Xieżno/śmierć vżyłá zwykłey swey srogo
Słuśnie sie sercá náße żáłośćia kráiáły. (śći.
Że ták znagłá strzesion był/owoc niedoyzrzáły
Iák kwiát gdy sie rozwiia/bárzo predko leże/
Kiedy go przy vwroći ostry plug dosieże.
Abo wieć iák rodowne sprzatáiac pokrzywy/
Gdy młódy sczep wyćina sádownik kwápliwy.
Ták onego nam ná świát skoro pokazano/
Alić go z tego świátá záraz wyłaczano.
O márne ludzkie myśli/o płonne turniete
Iáko wiáttem nábite puknely nádzieie.
Iáko sie w miárách nászych czesto omylamy/
Gdy iák nadłuższe látá sobie zámierzamy.
A kroby był nie westchnał/kto skárga płáczliwa/
Nie żáłowałby sie był ná śmierć zazdrośliwa.
Ktora ćie cny stárostá/nam w ten czás porwáłá/
Gdy sie z ciebie Oyczyzná siłá spodziewáłá.
To wszystko vpátruiac/ćiesko śmy wzdychály/
Y żáłosnemi łzámi twarzy oblewáły.
Lecz iuż nádáremny płácz mimo sie pusczamy/
A k tobie zacna Xieżno mowe obracamy.
Wieß dobrze niewrocony że to koniec wzieło.
Cokolwiek z Boskiey woli iuż raz przemineło.
Wieß że ßyroka ziemiá y iásny krag słońcá:
Y sam obrot niebieski czeka swego końcá.

Wiesz/że każda rzecz przetrwa czás sa nieprzetrw
Y same zmieyscá spycha niebotyczne skáły. Cáły
Wiesz/ że przez wszytkich ludzi płácz w iedno znie
sіony/
Człek zmárły niemoże być ná świát przywroco=
Wiesz/ náostátek/ że tym sobie niepomoże/ (ny.
Kto ná tym nie przestawa co iuż być niemoże.
Y dla tego ná wolą Bogá wszechmocnego
Przestáiac/ vczyń koniec frásunku twoiego.

MATTHEI ROSCZYNSKI.

Threny ábo Piesni załobne.

THREN PIERWSZY.

O PODLOSCI GROBV CZLOWIECZEGO

Iák mászkare temu
Swiátu obłudnemu
Smierć wiec zdiymuie/ chcesz wiedzieć do twe[o]
Poyźrzy z pilnoscia grobu niewielkiego.
Tu przed kim padano
Y z boiáznia stano.
Ten z krasy swoiey bedac zgołocony/
Zostáie w trupia brzydkość odmieniony.
Tu zá dwory one
W gore wywiedzione.

Wzdłuż

W dluſz ná trzy łokćie dołek wykopány/
A brełá ziemie z wierzchu wárowány.
Tu miáſto wielkiego
Orſzaku twoiego.
Około ſtoia robacy z žábámi/
Paſtwiac ſie ćiáłá zgniłego członkámi.
Tu zá ſzánowáne
Száty drogotkáne
Bedzie ná ćiele ſproſna gnoiu ſzmátá/
Swiećie nieswietny/táż twoiá zápłatá.

THREN WTORY.

O PREDKOSCI SMIERCI.

Madrość ieſt nád madrośćiámi
Obaczáć pogoń zá námi
Smierći/ktora ſwe wyroki
Miece/ nie dáiac odwłoki.
Ják ſie z pedem ná doł wáli
Skálá ktora wiátr obáli.
Ták ſie náſze przerywáia
Látá/ y ſwoy koniec maia.
Jáko z ćiećiwy wypada
Strzałá gdy zbroie przepáda.
Ták wnet przez śmierć z ſwa nádzie=(ia/
Myśly ſie náſze rozwieia:

Zás kto

Zás kto sie rozbráci z świátem/
Wszystkie spráwy iego zátem
W niepámięci ponurzone
Nigdy nie będą wspomnione.
Własnie iáko kiedy morze
Okręt wielkim gwałtem porze.
Skoro przedzie/by znáku
Już nie widáć iego śláku.
Márność iest nád márnościámi
Swoiemi ten świát pompâmi.
A przećie ludzi ták wiele
Każe nań hárdzie y śmiele.

LAVS DEO,

& eius Matri Sanctissimæ.

